

1720

21

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.



ORDINIS LECTORVM
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GERH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROP. PVBL.
CVRIAE HEMERIC. TORALIS PROVINC.
AC. SCABINVS ASSessor
LECTORI BENEVOLO

S. R. D.



onstans DD. atque Interpretum, cum Ciuili, *auth. Offeratur C. de Lit. Contest.*, tum Canonico comprobata iure, *cap. 1. X. de Lib. Oblat.*, sententiã est, Libellum, qui actionem continet, eamque ob rem *conventionis §. 24. I. de Action. l. ult. C. de ann. except. Nou. 53. c. 3. pr.*, item *reclamationis*, ac *postulationis d. cap. 1. X. de Lib. oblat.* uocari solet libellus, siue ex usu fori diuerso proferatur ore, siue scripto comprehensus tradatur, omnibus in iudiciis, maxime ciuilibus, adeo necessarium esse, ut nulla quidem ratione, nec litigantium consensione partium, remitti possit. Nemine enim facto, pe-

tendiue causa, iudicem instruente, nec ullo,
qui, uocatus in ius, contradicat, existente, i-
psum cessare oportet iudicium, atque officio
iudex suo, quod in dirimendis causis contro-
uersis consistit, perfungi nequit. Ex his simul
apparet, Libellum non aduersarii modo, sed
iudicis etiam, gratia edendum esse, eo nempe
consilio ac mente, ut aduersa pars constituat,
num cedere an contendere malit, iudex autem
de causa petendi, in libello rite expressa, pri-
mo cognoscat aspectu, ne iudicium in exitu
reddatur irritum, pecuniaque ac tempore in-
utiliter consumtis, tum ad extremum ineptus
reiiciatur libellus, uel reus ab actione, ut pro-
posita fuit, absoluaetur. Pomponius Ictus do-
cet prudenter, nullam sine petendi debendiue
causa experiundi potestatem esse, quando l.
26. π. de Donat. his utitur uerbis : *Nuda ratio
non facit aliquem debitorem, ut puta, quod DO-
NARE libero homini uolumus, licet referamus in
rationes nostras, DEBERE NOS, tamen nulla
DONATIO intelligitur.* Quam suam mentem
uberius declarat in l. 49. §. 2. π. de Pecul. ubi
ait, *si dominus in rationes suas referat, SE DE-
BERE seruo suo, cum omnino neque MVTVVM
accepe-*

acceperat, neque ulla CAUSA praecesserat DE-
BENDI, nuda ratio non facit eum debitorem.
Atque idem illud, etiamsi traditio fuerit secu-
ta, asseuerat Iustus Paulus in l. 31. pr. π. de ac-
quir. rer. dom. Nunquam, inquit, nuda tradi-
tio transfert dominium, sed ita, si VENDITIO,
aut aliqua IVSTA CAUSA praecesserit, propter
quam traditio sequeretur. Non ignoro quidem,
nonnullos Interpretes, qui dissentiunt, prouo-
care ad l. 40. pr. π. de Pact., atque argumenta-
ri, quem ad modum creditor causam liberatio-
nis exprimere non necesse habeat, sed omni-
no sufficiat, si profiteatur, debitorem sibi non
teneri, ita quoque debitorem efficaciter obli-
gari, licet nullam debendi causam exprimat.
At enim uero in modo laudata lege parum uel
nihil praesidii inueniunt isti DD., quoniam a-
liunde inter omnes constat iuris peritos, in-
ter illa pacta, quae fidem liberant, et ea,
quae obligant, multum sane discriminis in-
tercedere, quippe prioribus leges causam do-
nandi tacite contentam uolunt, posterioribus
non item, atque in prioribus carere possunt de-
bitores acceptatione, secus ac in posterioribus
creditores. Nec porro me fugit, quosdam DD.

inclinare, ut arbitrentur, saltem inter *mercato-*
res confessionem debiti sine causa debendi ua-
lere. Sed sola, apud mercatores quasi ex-
uberantis, et debitum mercandi causa con-
tractum indicantis, fidei ratio, qua se ad-
duci patiuntur, mihi hoc neutiquam persua-
det, et quid multa? non dubito, quin merca-
tores alius cum ciuibus pari iure censendi ue-
niant, praeterquam, si peculiari lege aliud quic-
quam cautum sit, aut loci consuetudine intro-
ductum. Pro *uenerabilibus* quidem *locis*, *piis*
ue causis, complures etiam DD. propugnant,
nihil esse, quod quis in obligatione, uel cau-
tione chirographi, exprimat, ex qua causa il-
lis debeat, cum fauor piae causae certissimam
causae debendi faciat coniecturam. Verum
nulla lege, quantum memini, hoc ius singula-
re ipsis assertum est, neque ab eo, quod dos,
ex errore praecedentis obligationis soluta, re-
peti nequeat, *l. 32. §. 2. π. de Condict. indeb.*, ad
ius postulandi id, quod sine causa promissum
est, procedit argumentum, quin potius pla-
num sit ac perspicuum, ne iuris quidem erro-
rem in damnis amittendae rei nocere, sed e-
um, qui ex ignorantia iuris aliquid promisit,
tutum

tutum esse ac securum exceptione, *l. 7. §. 8. π. de Jur. et fact. ignor.*, quamvis actione repetendi id, quod, ius ignorans, tradidit, destituatur. *l. 10. C. de Jur. et fact. ignor.* Factae in iudicio pariter, ac *geminatae*, confessioni tantam denique vim multi DD. tribuunt, ut haec, sine causa debendi expressa, plenam fidem efficere debeat. At inspicias quaeſo legem *6. pr. §. 1. 2. π. de Confess.*, et reperiēs, confessionem incertam, quantumvis in iudicio factam, nullius ponderis esse ac momenti, sed omnino certam requiri, quo quis possit condemnari. Ac debiti confessionem, nisi certa debendi causa exprimat, utique incertam manere, ex *cap. 14. X. de fid. instrum.* et *l. 25. §. ult. π. de probat.* luculenter patet. Cum igitur eiusmodi sine causa facta confessio, quam modo dictae leges *indiscretam* uocant et *indeterminatam*, de nihilo sit atque inanis, sua sponte consequitur, praesentia quidem magistratus, aut *geminata* locutione, adiuuari illam haud posse, neque hac ratione roboris quicquam ac potestatis accipere. Quod si uero actor certam petendi causam in iudicium deduxerit, reusque, conuentus, simpliciter confessus sit, ne-

mo fortassis in dubium uocabit, standum esse
ipsius confessione, et perinde haberi, atque si
pronuntiaffet, se ex hac causa debere, *l. 6. §.
2. π. de Confess.* Id quod et in confessione, ex-
tra iudicium facta, obtinet, dummodo certa
debendi causa praecefferit. *cap. 14. X. de fid.
instrum. l. 25. §. 4. π. de Probat.* Neque enim ne-
cesse est, in respondendo, aut confitendo, ea-
dem omnia repeti, quae stipulator uel ac-
tor expressit. *§. 5. J. de inut. stipul.* Aceatenus
admitti potest, quod uulgo monent, iudi-
ces in confessionibus absque expressione cau-
sae nimium scrupulosos esse non debere.
Huic autem materiae cum pluribus inhaere-
re uolupte sit, tum uero recordor, pro mo-
re de uita, studiorumque ratione, Clarissimi ac
Pereximii CANDIDATI nostri, GOTTHELF
FRIDERICI KRAVSII, sed breuiter cursim-
que esse commentandum. Natus est A. MDCC-
xcix. *Freibergae*, adeoque in urbe, et argenti
uenis, et optimis scitisque ingeniis, quae sem-
per aluit, locupletissima. Pater ei fuit GE-
ORGIUS GREGORIUS KRAVSIVS,
Senator urbis grauiissimus, causarumque Patron-
us per quadraginta annos felicissimus, cuius
uti-

utilissimas dotes Senatus, populusque, ibidem
grata memoria prosequitur, filius autem tan-
tum fortunae praesidium, ante semestrem spa-
tium sibi ereptum, uehementer luget. Ma-
trem colit MARIAM BARBARAM, foemi-
nam ad omnem sui sexus cultum compositam,
cuius pater, GODOFREDVS VVEBERVS,
Consulis dignitate apud Ordrandienses est de-
functus. His parentibus editus, uixque fami-
liae insertus, purioribus sacris est initiatus,
statimque rectae indolis spem fecit, quando
ingenium ac pietatem parentibus in omnibus
probauit. Laetum adeo crescendi omen na-
ctus, honestisque ac egregiis necessitudinibus
excitatus, ipse mox ad liberalem cultum, di-
gnasque ingenuo homine doctrinas, animum
erexit. Prima statim aetate in disciplinam tra-
debatur *Mollo*, moderati maxime ingenii
compositique Viro, sacerdotis apud Stragi-
enses munere nunc fungenti. Deinde priua-
tim discendi modum cum publice proficiendi
ratione commutauit, scholaeque in patria flo-
rentissimae alumnum dedit. Hic uero augen-
dae ornandaeque eius indoli datus adscitusque
est *Sam. Haspius*, Conrectoris nunc munere
cum

cum laude fungens, cui Viro uti se totum tra-
didit, ita, merita eiusdem tanta in se exitisse,
ut maiora esse non possint, grato animo testa-
tur. Exinde uberrimam materiam amplifi-
candi eam, quam hauserat, doctrinam nactus
est, cum ad disciplinam *Sam. Molleri*, Rectoris
egregie merentis, ascendit, hocque duce scho-
lae spatia feliciter absoluit. Dignus adeo de
sententia Praeceptorum uisus, qui studiorum
causa ad Academias iret, *Vitembergae*, cui iam
A. 1710 CCXVI. nomen dederat, partes ciuis
A. 1713 CCXIII. suscepit. Huc delatus, in scho-
lis DN. MARTINI HASSEN, publici cele-
berrimique morum doctoris, priuatim pruden-
tiam, quae ciuilibus uitae rationes ornat atque
moderatur, primum hausit, sicque sapienter
de reliqua iuris doctrinae uia, quae a talibus
initius proficisci debet, sibi prospexit. Tum
iuris peritorum Ordini se addixit, meisque cum
publicis, tum priuatis, in plurimas iuris par-
tes commentationibus interfuit constanter,
cumque iis DN. D. KRAVSII, Viri in arte
iuris et foro exercitatissimi, fratris autem sibi
pericari, scholas sedulo, quamdiu hic fuit, con-
iunxit. In publicis etiam Celeberrimorum
Ante-

Antecessorum, Magnif. DN. IO. BALTH.
WERNHERI et Excell. DN. GODOFR.
LVDOV. MENCKENII praelectionibus
multum et magno cum fructu profecit. Per-
acto sic triennio, in animum induxerat, exami-
ni, quo causas agendi facultas obtinetur, se-
sistere, uerum subito interuenit rebus suis ad-
uerfa carissimi parentis ualetudo, eumque do-
mum reuocauit quidem, ipsa uero mox subse-
cuta mors, acerbissimo eius cum luctu con-
iuncta, tantisper ibi continuit. Defunctus do-
mestica pietate, ad nos rediit, pristinique in-
stituti non immemor, per hoc semestre spati-
um solidissimum Iuris studium resumfit, atque
tandem nomen inter Candidatos est professus,
utque licentia summos in utroque Iure hono-
res, priuilegia, atq. insignia capeffendi sibi con-
cederetur, modeste ac decenter precibus Or-
dinem nostrum ambiit. Nos, honestissimam e-
ius esse petitionem, rati, dedimus illi locum,
copiamque fecimus haec omnia ritu moreque
maiorum consequendi. Restat adeo, ut pu-
blicum etiam eruditionis in Iuris scientia com-
paratae exhibeat argumentum. Datus autem
est solemnibus istis negotio expediendo proxime
futu-

futurus *dies Martis*, quo Exercitationem inau-
guralem *de Vitiis Libelli*, proprio Marte elabo-
ratam, sub moderamine meo publicae disqui-
sitioni submittet. Cui actui solemniter ut Comi-
tes Illustrissimi, Academiae Proceres, Gene-
rosique ac Nobilissimi bonarum artium cultores
interesse uelint, ea, qua par est, obseruan-
tia ac humanitate rogamus, unaque promitti-
mus, Ordinem nostrum officii istius memori-
am grata ubique mente esse conseruaturum.
P. P. Vitembergae, Dominica, quam Christi-
anorum Fasti referunt, *Palmarum*, A. MDCCXX.


VITEMBERGAE


EX OFFICINA FINGELIANA.

Wittenberg, Diss., 1720



f
sb.





1720 21

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

